

APOLOGIA PRO PAULISTIS (1684)

[Biblioteca Nazionale Centrale Vittorio Emmanuele, Roma, 1249, 3, f. 44-55]

Transcrição:

CARLOS ALBERTO DE M. R. ZERON
Universidade de São Paulo

Tradução:

RAFAEL RUIZ
Universidade Federal de São Paulo

Ad maiorem Dei gloriam

Apologia pro Paulistis, in qua probatur D. Pauli et adjacentium Oppidorum incolas, etiam si non desistant ab Indorum Brasilum invasione, neque restituta Iisdem Indis, mancipiis suis, libertate esse nihilominus Sacramentalis confessionis et absolutionis capaces.

Mirabitur quis me, qui huiusque pro oris et focus pro libertate Brasilum adversus Paulistas, ceu injustos indigenarum invasores pugnarem acerrime, atq Sacramentalis eos absolutionis affirmarem incapacissimos Imo etiam pluries eam Ipsi Ipse ego negarem iam nunc, veluti pœnitentia dicitur canere palinodiam, atq Paulistarum apologeticum agere. Fateor; in dubium hic revoco, quod mihi antea videbatur indubitissimum: imo qua rationibus, qua doctissimorum virorum testimoniis, qua legibus utriusq iuris probabilissimum, ne dixerim certissimum, evincam id, cuius mihi oppositum videbatur olim meridianorum luminum clarissimum. Prior mea sententia argumentis quidem in speciem verio, sed

potissimum fide parentum nitebatur; quam tamen defendebam mordicus: donec, expenso pensiculatus Paulistarum, tot distinctorum inter se Oppidorum nobilissimorum numero, Dei-hominis lotorum sanguine in æternum nihilominus, ob malam in operando fidem, ruentium barathrum, illorum miseram indolerum quam maxime, vel ad lachrymas, vicem, atq, divino indubie instinctu actus, cui non cessans negotium tantæ molis commendabam, de remedio grandi adeo malo, cogitarim serio, atq rem appenderim totam e rationis, Doctorum et legum trutina; quorum singulorum et simul omnium ductus pondere, opinione priori mutata, asserere compellor esse plusquam probabilissimum, Paulistas posse, quin et debere á nostris Patribus absolvi, absq eo quod morem mutant, Indos q, mancipia sua, donent libertate.

Neque dubitem, quin per plures in meas partes attraxero, si, sepositis præconceptis, opinionibus, quæ ex variorum prabatissimorum doctorum, hauserim placitis, perlegere attente non fuerint gravati. Quod ut faciant, Doctissimi Patres, et Magistri mei, nos per Deum obtestor; atque per Jesu, communis Salvatoris, rogo sanguinem, ut meæ in Litteris et studiis altioribus exilitatis, nobis notæ ne recordemini, sed per euntium multarum centenarum myriadum tum Europæorum, cum indignarum mancipiorum animarum, integri Paulistæi huius Regni incolarum. Regni dico: quid ni enim dixerim regnum, quod in longum ad 160 et amplius milliaria nostratia excurrit; et in latum vel ad Hispanorum orbis Americani Usq ditionum. Accipite Oppidorum nomina, aliorum aliis majorum, plurimorum vel a magnitudine vel ab Incolarum frequentia in signium: primum D. Paulo sacrum, a quo tota Regio ceu capite, nomen accepit. 2um S. Vincentio. 3um dictum Sanctos, 4. Guiringatá, 5. Taubatè, 6. Paraiba, 7. Mogi, 8. Parnaiba, 9. Jundiay, 10. Utù, 11. Cerocaba, 12. Itayanhen, 13. Iguappe, 14. Cananea, 15. Paranaguá, 16. Rio de S. Fran^{co}. 17. Curutyba, 18. S. Catharina, 19. Laguna dos patos, 20. S. Sebastiam, 21. Ubatuba, 22. Ilha grande. En P.P.R.R. Oppida præter innumeras villas alias: vos Incolarum, et colonorum vobiscum animis innotite computum; quo nos, in animarum salutem studiosissimi, ceu calcaribus incitemini magis; atq argumenta, quæ pro liberandis á culpa Paulistis attulero, toto perpendere nisu mentis ne pigeatis Dei res agitur et animarum salutis. Superq dixi satis.

Priusquam rem aggrediar, suppono primo tanquam certissimum et indubitatum, D. Pauli Incolas non se neq. suas familias alere posse, nisi barbarorum Brasilum captivitate se adjuvent: neque enim Æthiopum possint uti opera, quod illos non possidiant, et unde comparent non suppetant passim: cum solum et cælum hoc Paulistarum, non præbeat

rerum copiam, quæ emendio Æthiopum mancipiis sufficiat; non enim præter gassypium, fabas, et eiusmodi generis legumina poma sydonia, alios q pauculos arborum fructus, parum etiam tritici, et vini. In exiguã copia præferat alia: quæ vix dum ad tegenda corpora ventres q farciendos necessaria suppedittant.

Dixi, passim: quod perpauci sint fortimæ opulentioris, qui pauculos Æthiopes ad servitia habent: sed etiam hi nisi á barbaris adjuventur, plane statu suo, dignitate nobilitatis, officiis allisq fortuna et naturæ bonis cadent.

Accedit; Æthiopes æstibus et nimiis solis torreri caloribus asiuetos in patria minus esse accommodos, experientia magistra, frigoribus Paulistæi cœli, extra torridam zonam siti, certis anni temporibus non mediocriter urgentibus, perferendis.

Suppono secundo nullum omnino esse Paulistarum, qui non mancipario lucro ex abactis vi Indis, victitet. Id adeo est iurum, ut a nemine vocari in dubium queat.

Suppono tertio Indos Brasiles, si non omnes, quotquot per totum terrarum orbem sunt barbari feritate superent; certe omnium ferissimis esse immanitate æquales humanæ carnis voraces. ¶

Suppono 4º ab quadraginta annis plusquam centum barbaros hos e meditullis abactos et sibi subjectos bello, pro mancipiis haberi a Paulistis cæptum, adeoq et vendi, emi, testamento relinqui hæredibus. ¶

Suppono 5º a quadraginta quinque circiter annis binas pontificias bullas emanasia; sicuti et plurima variorum Regum, temporibus variis diplomata; eaq publicata fuisse in primariis Brasiliæ locis: quibus sub gravissimis censuris et pœnis, etiam bannitarum, indigenarũ invasio et captura in mancipia prohibebatur; ut et eorundem venditio, emptio, alia q omnia quæ mancipatum subsequuntur.

Suppono 6º Bullas, quas dixi, et Diplomata illa censuras et pœnas Paulistarum neminem latere.

Suppono 7º et ultimo: Paulistas nostros ad summam malitiæ abyssum esse lapsos; qui potius obedientiam sint Pontifici Romano negaturi, et Regi fracturi fidem, quam ab invasione Brasilum desistant, eosque quos possident manumittant, si urgeantur. Quod verissimum est, ut nullus possit inficiari; qui horum pertinaces noverit animos: quin ipsimet, ubi extimam suam, in quam inciderent miseriam secum vuoluntanimis; palam quas sparsis in vulgus scriptis, qua verbis, inter colloquẽ dum, illa proferre non verecundantur. Quod profeto omnium, vel maxime sociorum JESU mentes pungere oporteat, non

ad aversionem et odium, sed ad compassionem, et ad remedium tanto malo, totis viribus, procurandum.

His positis, videntur confessionis et sacramentalis absolutionis Paulistæ incapaces.

Primo quia bello invadunt innocuos eosque vi subjiunt, et habent pro mancipiis adeoque sunt in peccato actuali.

Secundo, quia impœnitentes scienter et volenter contra Pontificum et Regum sanctionis hostiles omittunt in Indeginas actus nolunt; sed neque nime ut cum maxime instrui se á confessariis super delictis eiusmodi patiuntur: quin fidem potius negent atque sexcentas evomant blasphemias, quam ab molitia desistere sint parati.

Nihilominus sacramentali confessione se expiare atque á confessariis valide absolvi posse, imo debere absolvi affirmandum censas.

Pro resolutionis fundamento sit quæstio præambula

Utrum Brasiles Indigenæ iusto affici bello possint et subigi in mancipia?

Quæstio procedit circa Indos qui neque Ecclesiæ gremio aggregati, neque ab Europæis humano vivendi modo imbuti, meditullia excolunt et sylvas, ab omni rationabilium creaturarum more alieni: vel etiam circa illos, qui licet Europæis sive iis, qui iam hominum disciplina edocti, convivant tamen humanæ politiæ adversantur et fugiunt.

Ad quæstionem respondeo affirmative:

1º quia licite debellantur barbari qui violatores sunt iuris naturalis contra proximos scilicet non tribuentes cuiq quod suum, et facientes aliis quod sibi ipsis fieri nolent: ut si furta, homicidia, falsa testimonia, humanæ carnis Ingluviem, uxorum pluralitatem, conjugiorum minimis et pluribus de causis dissolutionem, et alia sæicã et æffrænata tyrannidem exercent Impugne et permittant: in quibus omnibus, nisi forte excipere vilis furta, insigniter excellunt nostri Brasili. Cum enim in his multa damna eaque gravia et incommoda contra innocentes committantur; et ob illa communis humanæ Reipub. salus, pax et tranquillitas nequeat in tuto consistere licite pro iis defendendis vi et armis adversus quos libet decertatur. Ita in terminis Azor inst. moral p. 1. l. 8. c. 24. q. 9. Ubi sic: legibus enim naturæ violatis plane consequitur, ut innocentes in multis damnis incommodis, et malis afficiantur: iure autem naturali innocentum injurias propulsare et possumus et debemus: item quia eiusmodi mala communi Reipublicæ saluti, paci et bono officiant et

nocent. Idem docet p. 9. l. 2. c. 7. q. 30. § quinta difficultas. Azorium sequuntur Rlt Lina T. 1º. tr. 2º. disp. 106. n. 5. potest probari, inquit quoniam unicus que mandavit Deus de proximo suo, ut habetur Ecles. 17. et prov. 24. præcipitur: erue eos qui ducuntur ad mortem, et, qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses. Ergo quivis naturali iure defendere potest innocentes à tyrannide et oppressione. Bonacina T. 2. dis. 3. q. 2. p. 8. n. 3. concedo tamen, ait, populum viventem more belluarum compelli posse ad vitam mitiorem suscipiendam. Ratio est. quia fieri non potest, quin hoc modo vivendo opprimant multos innocentes: licitum autem est suscipere patrocinium innocentis.

Bannez 2. 2. q. 10. a. 10. dub. 4. conc. 6. arg. 3. Victoria de Relect. 2 de indis n. 15. Hurt. de Mendocça Vol. 1. dis. 75. sec. 1. § 22 Sylvester V. Papa. q. 7. et verbo infidelitas q. 7. Innocentius in cap. quod super. de voto n. 4. et 19. Solorzanus de Indiar. iure lib. 2. cap. 15. Fabiena V. infidelitas. Antoninus p. 3. tit. 22. c. 5. § 8. Thomas a IESU de procur. om. gent. Sal. l. 5. dub. 4. Lugo de fide dis. 19. sec. 2. § 3. n. 96. qui ad marginem hanc ait sententiam communem. Fagundez. T. 1. l. 1. c. 33. n. 41. Layman l. 2. tr. 1. c. 17. n. 3. Becanus de fide c. 13. q. 5. n. 2. Escobar t. 6. l. 47. dub. 67. n. 352. Diana. p. 6. tr. 4. res. 16 et alii communiter. Cum Arriaga. de fide disp. 25 sec. 1. sub. sec. 3. n. 18. Licet sibi videatur contrarius. tr. de charitate. Dis. 48. sec. 2 subs. 1. n. 11. quin imo D. Augustinus Lib. 5. de Civit. c. 12 et 17. D. Thomas Opusc. de regim. Prin. Lib. 3. c. 4. 5. et 6. Laudant Romanos, quod olim barbaras nationes domuerint bello, et legis naturæ docuerint.

2º iuste etiam nostri expugnari possunt Brasili, quia pagani, infideles et inanium deorum cultores. Ita mordicus Hostiensis in cap. quod super his. de Voto. Item Panormitanis, ibid. quorum et aliorum Verba formalia ad longum habeas ex scripta. Alugo de fide. Disp. 19 sec. 2 § 3 n. 95. eundem sunt sententiæ Sylvester V. Papa q. 7 Angelus V. infidelitas n. 7 Lyrannus, Abulensis, Alph. Castrus, Pelagius, Abbas, Oldardus, Albertus. hanc sententiam probabilem putant Solorzanus de Ind. iure l. 2. c. 12 n. 1. Martha de iuris dict. p. 1. c. 24 Azor inst. mor. p. 1. l. 8 c. 24 q. 8. et etiam Becanus de fide c. 13 q. 6 n. 2.

Probatur hæc sententia 1º ex cap. si de rebus. 23. q. 7 qui quidem canon, si attente legatur convincit. Secundo autoritate divina: nam Deus iussit populo Israeli chananæos alias q. gentes Idolorum cultores expugnare, concidere delere ac perdere, quia tales: neq enim alia causa verior assignatur ab

authoribus sententiæ contrariæ: adeo ut Ipse Card. delugo sup. n. 97. recurrat ad præceptum divinum in particulari. Sed, bona venia tanti Doctoris, si DD. passim ad probandas belli iusti causas ad exempla V. T. recurrant; cur hoc exemplum respuat cardinalis sapientissimus?

Confirmatur: quia Idololatræ et infideles iure naturæ Uni Deo cultum et honorem deferre tenentur: quod ius infringunt Idololatriis suis et infidelitate; adeoq in vindictam tantæ iniuriæ divinæ, quæ Ipsum esse divinum petit, illi debellari iure naturæ possunt; licet ob allia peccata, quæ etiam iniuræ sint divinæ, qua tales, non item possint.

Tertio expraxi Ecclesiæ in Alexandre VI de quo mor dicendum infra. Probatur 4°. autoritate D. Cypriani l. de exhortatione ad martyr. c. 5. si, inquit olim servata sunt afiliis Israel præcepta belligerandi contra Idololatras, multo magis observanda sunt Christianis. Et D. Augustini Ep. 48. et 50. exhortantib christianos ad prælium contra Idololatras.

3° Indi Brasiles vere sunt et stricto iure subditi et vassalli Principis Christiani, Lusitaniæ Regis, per naturalem originem. l. 1. ff. de municip. et l. cives de Incolis. Lib. 10 videsis Suarium de legibus. Lib. 3 c. 31. n. 7. sunt enim membra Reipub. Brasilicæ, cuius verus Dominus est Lusitaniæ Rex: adeoq dubium esse non possit, quin Brasiles vi et armis adigere liceat, ad legem naturæ servandam; Idololatriam externam, fana, delubra, deserenda, ritus superstitiosos respuendos, atq ad omnem Impietatem barbaram deponendam. Ita Layman l. 2 tr. 1. c. 17. n. 3. ex. L. nemo. c. de paganis. et Clementinæ Unica de Judæis et Saracenis. Citat etiam D. August. Ep. 48. S. Th. q. 10. a. 11. Molinam disputat. 106. Conc. 2. Valent. t. 3. dis. 1 q. 10. p. 6. ad. 4. Idem probat Azor inst. mor. p. 1. l. 8. c. 24. q. 5. pluribus exemplis Pontificum, Conciliorum, Imperatorum: qui omnes decretis suis et legibus latis omnem Idololatriam et impietatem Sacrilegam, exercitium denique gentilismi, paganis, suis subditis, ante omnem etiam Evangelis prædicationem, interdixerunt: cuius rei rationem dans idem Azor sic. ait: nam hoc Ipso, quod Christiani Principis ditioni subjecti sunt, quemadmodum cogi possunt eas leges servare quæ ad commune Reip. bonum, videlicet salutem, tranquillitatem et pacem pertinent; quoniam interdixi eis potest ne noctu arma deferant, ne tributa denegent, ne pacta perfringant, ne promissa violent, ne frumenta extrahant, ne furta, adulteria, homicidia committant; sic etiam adstringit possunt ad germanum et verum cultum Uni Deo, bonorum omnium auctori deferendum ad Idola e medio tollenda, adiura naturæ servanda. Idem docet Bannez 2. 2. q. 10 a. 10

dub. 2. Arriaga de fide dis. 25. sec. 3. n. 28 et 29. Becanus de fide. c. 13. q. 5. n. 3. Lugo de fide. disp. 19 sec. 2. §. 3. n. 9. § 5 qui in margine sententiam hanc communem vocat Eandem etiam tuetur alios que pro se affert Authores Bonacina t. 2. d. 3. q. 2. p. 8. n. 3.

Necque tantum potest princeps, sed et debet peccata et ritus legi naturali, adversos, suis subditi prohibere. Ita Lugo sub n. 129. citans Suarium: quia tenetur princeps bene subditos gubernare in ordine ad finem suæ gubernationis: quare sicut furta, homicidia, adulteria, sic etiam hac alia delicta, quæ ex genere suo pleraque graviora sunt, prohibere debet. Eiusdem mentis est Azor sup. cit uti patet ex illo possimus et debemus.

Quæret forte aliquis quonam pacto Brasili Indigenæ sint subjecti Lusitaniæ Regi stricto iure? Et quomodo hic sit Brasiliæ Dominus? Quo id iure?

Respondeo; non utique iure canonico, necque civili; sed neque iure belli: at vero esse Brasiles Regis Lusitaniæ subjectos, eumque Brasiliæ Dominum autoritate Romani Pontificis Alexandri VI. dividens terras Orientis et Occidentis, inventas et inveniendas, easque cum omnibus iuribus et iuris ditionibus Hispaniarum et Lusitaniæ Regibus donantis ex motu proprio, et certa scientia, ac de potestatis Apostolicæ plenitudine; imo autoritate omnipotentis Dei, sibi in Ps. Petro concessa, ac Vicariatus JESU Christi qua fungitur in terris verba sunt Ipsissima Bullæ.

Cum enim Christo Domino, qua homini, data esset omnis potestas in cælo et in terra Matt. 28. 18. convenientissimum fuit ad totum terrarum orbem suo subdendum imperio, eum que SS. legibus et præceptis imbuendum, eam non divisim, sed conjunctim; non pro fidelibus tantum, sed etiam pro infidelibus; non solum spiritualem, sed, propter spiritualem et temporalem, directe illam licet, hanc indirecte Vicario suo D. Petro eiusq. successoribus delegasse, et suas vices concessisse; qua omnes quotquot sunt mortales modis omnibus, quibuscumque, cuius tempori appositis et loco, pro ut conveniens et necessum indicaretur, in iis iuvari quæ ad æternam salutem et in unum ovile, sub Uno Pastore possent coalescere, quod ipsum Christus Dominus clare voluisse videtur, iuxta Innocet. in cap. quod super. devoto n. 4. et alios apud Layman l. 1. tr. 4. c. 6. § 1. n. 4. geminatim comendans D. Petro agnos pascendos suos hoc est fideles et non fideles: omnes enim oves et agni sunt Christi Domini per creationem,

inquit Innocentius, et addi possit, etiam per redemptionem. Ita ut, quemadmodum penes Pontificem sit ius et potestas pascendi id est regendi; inquirendi et animadvertendi in fideles, eorum q. mores, sic etiam in infideles sit. Ita Hostiensis et Panormitanus sup. Pelagius de planctu Eccl. l. 1. a. 37. Major in 2. cent. dist. 44 q. 3. Antoninus p. 3. tit. 22. c. 5. § 8. Sylvester V. Papa Aug. Anconitanus, Oldardus Joan. Andreas Alberinus et alii iuris canonici interpretes quos omnes cum aliis citat Covarruvias in Reg. peccatum. p. 2. § 10. n. 1. Idem expresse docet Bannez 2. 2. q. 10. a. 10. dub. 4. conc. 5. arg. 3. sequitur etiam ex doctrina Bellarm. toto lib. 5. de Pontifice, siquidem attente perlegatur. Imo plerosq D.D. eiusdem nobiscum esse sententiæ, quamquam videantur primo intuitu contrariis quod rem in terminis non trattent haud ~~nam~~ equidem probatu mihi foret difficile.

Itaq dicendus Alexander VI subdelegasse, ut ita dicam, suam potestatem Lusitaniæ Principi, eique comisisse suas vices ad inquirendum et animadvertendum in Brasiles barbaros, eosque submittendum Christi imperio; et, ad finis adeo sancti consecutionem, cum esset necessaria iuris dictio ac dominium, tam hoc, quam illam donasse omnem, non in personas tantum, sed et in terras et Regna. Ita ut Rex noster ex iusta illa Pontificis donatione, omnẽ omnino ac quisierit iurisdictionem ac omne imperium, nec non iustissimam Brasiliæ possessionem, eiusq incolarum. L. iuste possidet ff. de acquirenda possessione. Ita Malfertius apud Mandellum consil. 769. vol. 4. Sepulveda in Apol. pro Indiar. Conquist. et alis quos citat et sequitur Solorzanus de Ind. iure l. 2. c. 23. n. 68. Diana p. 6. tr. 4. res. 18. vide etiam, si lubet, Covarr. sup. qui plures theologos et canonistas, agentes de autoritate Summi Pontificis, affert.

Totum luculenter probant verba ipsa Bullæ, quæ rogo, legere et pensiculatius singula inspicere, ne pigeat hoc est inter Alexandri VI Bullas, secunda, edita an. 1493. et affertur acherudin in Ius Bullaris t. 1. agit nominatim Pontifex cum Regibus Ferdinãdo et Elizabetha atque eos, postquam mirifice a zelo propagandæ catholicæ fidei laudasset ac ad opus intceptum prosequendum verbis ad hortatus esset efficacissimis alloquens, pergit.

§ 4. Vos omnibus diligenter et præsertim fidei catholicæ exaltatione et dilatione (pro ut decet catholicos Reges et Principes) consideratis more Progenitorum Vestrorum claræ memoriæ Regum, terras firmas et insulas prædictas illarum q incolas et habitatores, nobis, divina favente clementia subijcere et ad fidem catholicam reducere proposuistis.

§ 5. Nos igitur huiusmodi vestrum Sanctum et laudabile propositum, plurimum in Domino comendâtes ac cupientes, ut Illud ad debitum finem perducatur, et ipsum nomen Salvatoris nostri in partibus illis Inducatur hortamur vos quam plurimum in Domino, et per sacri lavacri susceptionem mandatis Apostolicis obligati estis, et per viscera misericordiæ Domini nostri JESU Christi attente requirimus, ut cum expeditionem huiusmodi omnino prosequi et assumere proba mente, orthodoxe fidei zelo intendatis, populos in huiusmodi insulis et terris digentis ad christianã Relligionem suscipiendum inducere velitis, et debeatis; nec pericula nec labores ullo unquam tempore nos deterreant, firma spe fiducia que conceptis, quod Deus omnipotens conatur vestros feliciter prosequetur.

§ 6. Et ut tanti negotis Provinciam Apostolicæ gratiæ largitate donati liberius, et audacius assumatis motu proprio, non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc nobis oblatae petitionis Instantiam, sed de nostra mera liberalitate, et ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes insulas, et terras firmas inventas et inveniendas detectas et detegendas V^a. Et Paulo post: auctoritate omnipotentis Dei nobis in Ps. Petro concessa, ac vicariatus JESU Christi, qua fungimur in terris, cum omnibus illarum dominiis civitatibus, castris, locis et villis, iuribusq et iurisdictionibus, ac pertinentibus universis, vobis, hæredibusq. ac successoribus vestris in perpetuum, tenore præsentium donamus, concedimus, et assignamus: vosque et hæredes ac successores præfatos illarum Dominos cum plena, libera et omnimoda potestate, auctoritate et iurisdictione facimus, constituimus et deputamus.

Huiusque Verba Bullæ: quæ si bene perpendantur, equidem nescio, quis possit catholicus revocare in dubium, an penes Pontificem sit ius pascendi i.e. regendi, indagandi et animadvertendi in barbaros, ob id solum quod pagani sint; imo et eorum terras, et dominia ipsos que incolas et habitatores subjiciendi Christiano Principi, ea tantum lege ut postquam subjecti fuerint, illos ad fidem adducat, et Christi nomen invehat. Et enim notatu dignum Pontificem § 4. asserere, et tamen laudare Regem, quod proposuerit ante omnia subjicere terras eiusq habitatores, et tum demum postea eos ad fidem catholicam reducere; neq enim aliter possit dictus ille finis tam Sanctus obtineri: ut effugio non sit locus D.D. gravissimorum passim affirmantium concessum a Papa Regi, solum

patrociniis ius in eas terras et incolas, supposita eorum conversione debito et legitimo more procurata. Crediderim ego; viros illos doctissimos Bullam ad manum nequaquam habuisse, adeoque ad suæ sententiæ nobis contrariæ, tuitionem, illam pro ut sibi conveniens, explicasse.

Longe tamen est denius cum Becano de fide c. 13. q. 6. n. 12. et Valentia 2. 2. disp. 1. q. 10. p. 7 § ad 2. et Fagundez citatto. Asserere Pontificem errasse in re facti: sed neque Bulla de aliquo agit facto, nisi ex incidenti et per transsennam; at vero de moribus, sive re morali agit uti per se patet, in quibus errare Pontificem non posse, est de fide iusta Bellarm. de Pontif. l. 4. c. 5. et communem Theologorum; tametsi non pro tota Ecclesia sed pro particulari Regno vel provincia aliquid morale decernat, præcipue si id motu proprio faciat; ita Bannez 2. 2. q. 1. a. 10. dub. 6. conc. 4. et bene probat Diana p. 11. tr. 2. 8. de Summ. Pontifi. in Append. Res. 13. § quod si lex.

Deinde præsumendum est pro Pontif. rem tanti ponderis statuente, absq dubio post. consultos mundi totius magistros, D.D. dico, in omni scientiarum genere theologiæ, canonum, iurisprudentiæ eximios in paucis; in S.S. litteris et profanis, in conciliis omnibus versatissimos. Deinde cum sit caput omnium fidelium, horum non est iudicare vel dubitare, (saltem cum non constet manifesta Deopposito) sed simpliciter obedire. Ita Bellarm. sup. et Diana sup. Res. 14. §. Deinde etiam observa.

Itaque cum Summus Pontifex Christi Dni. Vicarius in terris subjecerit terras, earum q incolas, verbis usus tam singularibus et efficacibus, quibus suam explicuit mentem Regi nostro; dicamus fateamurque ingenue Pontificem posse et potuisse facecre; atque quæramus quibus, argumentis propriis in contrarium, catholicæ faciamus satis. Sit Igitur conclusio certa indigenas brasiliis iusto affici bello posse, et quod consequens ad mancipia subigi. Pergo iam nunc ad probandam quæstionem primariam nimirum:

Paulistas posse sacramentali se exhomogesi expiare, atq per confessarios a peccatis valide absolvi; imo debere absolvi, vel non desistentes ab Indorum Brasiliis Invasione, neq restituta Indis mancipiis libertate.

Probo; quia nihil obstare videtur præter hæc tria: 1º quod bellis et in armorum infestent Indos, et subjeciant, absq autoritate Principis.

2º quod non admoneant prius Indos, neque doceant barbariem deponere, quam vi invadant.

3º quod inobedientes, contra Pontificum diplomata et leges regias prohibentes Indigenarum invasionem agant.

Sed eorum nullum obstat: ergo. Probo minorum: non 1^{um} obstat: Namq̄ quamquam ordinariæ, iuxta communem D.D. cum D. Thoma. q. 4º. a. 1. Sabr. in 4. d. 15. q. 4. a. 1. Victoria de iure belli n. 2. ex D. August. l. 22. contra faustum [rasura] 75. ubi sic ait: ordo naturalis mortalium paci accommodatus, hoc poeit ut suscipiendi belli autoritas pennas Principis sit. Ad iustam belli, saltem offens sivi autoritas requiratur Principis vel Reipub. superiorem non agnoscentis, vel certe Principis, qui ut ut feudatarius, causas tamen et lites, in suo terminet dominio: tamen ex præscriptione acquiri ius potest a Principibus et Rebus pub. superiorem agnoscentibus, ad indicendum et movendum bellum etiam offensium; ita exipromet Victoria et Cajetano Molina t. 1. tr. 2. disp. 100 n. 9 et 11. cum Beccano de bello c. 25. q. 1. n. 3. Reginaldo l. 21. n. 84. Filliutio tr. 29. c. 9. q. 2. n. 180. Escobar t. 6. l. 49. c. 12. n. 101. Sylvestro vi bellum l. § 2. Diana p. 6. tr. 4. Res. 1. Palao t. 1. tr. 6. dis. 5. p. 2. n. 4. et aliis.

Quod si ad præscribendum titulum quæras; do plures est 1^{um}. defensionis innocentium. 2^{us} doctrinæ christianæ docendæ et extirpandi barbariem Idololatram. 3^{us} quia Rex non facit suo satis officio in compescendis iis subditis qui contra naturæ legem enormia committunt crimina: quam ob rem non parum Regi præstant obsequis Paulistæ, sunt que præmio dignissimi. Hunc titulum colligere est ex Molina, Becano, Victoria, ibidem. Accedit Layman l. 2. tr. 3. c. 12. n. 4. in fine. Diana p. 6. tr. 4. Res. 1. Palao sup. n. 6. 4^{us} titulus est necessitas Paulistarum gravis; de qua pluribus infra.

Neque secundú obstat, quod non sit necesse præmonere semper ut abstineant delinquentes a delictis; præcipua quando peccata non solum legem naturæ infringant, sed præterea lædant communem Rempub. vel in capiti, vel in membris graviter: ad eorum enim punitionem non est necesse præcedere admonitionem vel prohibitionem sicut ad hoc ut privata persona iniuste impetitus potest se á fure vel homicida defendere et occidere, etiamsi non ponat præceptum, imo nec ponere possit vel monere. Ita Arriaga de fide disp. 25. sec. 3. n. 31. Lugo de fide disp. 19. sec. 2. n. 116. qui pro se affert l. 1. ff. de effract et expilator et L. Hodie ff. de pœnis. Vulpianū Indict. Leg. conimeh. n. 188. qui velit, nolit a Lugo convincitur pro hac stare sententia.

Cæterum Brasiliæ Indigenas admonitos fuisse per Evangelii Prædicatores, annis per luribus, ab initio scilicet editæ a Rege nostro possessionis Brasiliæ inficiari nemo possit: licet enim ad plurimos immediate non accesserint fidei

Præcones, accesserunt sane mediate, quod utiq̄ sufficit pervagantes toties vastam hanc adeo Provinciam, redeuntes toties ipsaque toties penetrantes meditullia, nunc concionando, nunc adhortando, nunc suadendo, nunc monendo Indigenas ad bonam barbarie ex uta, frugem vitæ, et S.S. fidem nostram capessendam; ut fieri non possit, quin ad omnes vel ab ditissimos humanæ vitæ mores, ipsaque adeo Evangelis lux penetraverit. Sed incassum omnia. Quid ni igitur debellæntur, ut vel suis malis salvi fiant.

Pergo ad ostaculum t. 3^{um} nimium agere Paulistas contra leges tam pontificias quam Regias omnem eiusmodi invasionem vectantis.

Dico in præsentiarum Paulistas illis legibus non teneri.

1^o. quia numquam iis fuerunt obstricti propterea quod ab illorum nemine fuerint unquam acceptatæ et usu receptæ: hæc scilicet est una conditionum, sine qua leges nequim, neq̄ substantiam habent. Leg. de quibus ff. de legibus cum enim ipsæ leges nulla alia ex causa nos teneant, quam quod iudicio populi receptæ sunt. Ita docent Julianus iuris consultus in hanc legem: et canonistæ in c. de Freuga et pace. Item Navarrus c. 23. n. 41. Driedo l. 1. de libert. Christ. c. 9. cons. 2. Armilla V. lex [rasura] 11. Major. in 4. d. 14. q. 4. Azor t. 1. l. 5. c. 4. q. 1. Castro de ostest. leg. Pan. c. 1. Tumus V. lex n. 11.

Saa V. lex n. 1. et plures alii apud Salas de leg. dis 19. e sec. 1. et 5. quod etiam verum est de legibus Pontificiis etiam si potestatem suam Immediatè a Christo et non a opulo accipiat ait Becanus P. 2. tr. 3. c. 6. q. 8. n. 3. Reginal. t. 2. l. 13. c. 16. n. 160. Filiut. tr. 21. . 11. q. 1. n. 429. Henriques sum. l. 7. c. 20. n. 1. Escobar t. 1. l. 5. c. 12. pr. 5 [rasura]. Rodrig. t. 1. q. 6. a. 10. Bonacina t. 2. De leg. dis. 1. q. 1. p. 4. n. 27. Leos. de iust. l. 2. c. 22. dub. 13. n. 98. Valentia disp. 7. q. 5. p. 5. § sequitur quarta quæstio per totam, ubi affirmat hanc doctrinam esse communem Theologorum et Iuristarum.

Et ratio quidem in sæcularibus principibus est, quod illi á populo suam acceperint potestatem; qui non est credendus voluisse tantum iuris tribuere Regibus, ut independenter a sua acceptatione leges illorum essent valituræ: hoc enim pacto sibi anus, quandoque omnino intolerabile imposuisset.

Quod ad Pontificem attinet, similiter quamquam, uti dictum, á Christo Domino potestatem habeat immediate, et obligare possit absolute ad suarum legum observantiam, independenter ab acceptatione quod videtur esse de fide, iuxta meliorem D.D. opinionem; tamen dicendus est nolle, imo nec debere: habet enim potestatē suam Pontifex in ædificationem, et non in destructionem, ut loquitur Apostolus 2. Cor. 13. et cum Christus

Dmni. dicat Matt. 11. iugum meum suave est et onus meum leve; quis non pié eredit, nolle Christum et Ecclesiam eius sponsam, non debere hoc Evangelis tempore, et legis gratiæ nobis iugum uit possibile et difficillimum imponere, saltem sub mortalis pœna. Neque enim Deus, ut homo, quærit occasionem ad calumniam inquit Rodrig. sup. q. 20. a. 11. §. Tertia ratio quæreret autem si vellet, independenter ab acceptatione Fidelium, illos ad legem Vicaris sui Pontificis observantiam, sub peccati pœna, obstringere; atq destrueret potius Pontifex, quam ædificaret, ircetiendo oves suas censuris; ac perturbationibus et peccatis præbendo occasionem. Ita passim DD. citati.

Si tamen quis velit cum P. Suarez de Leg. l. 3. c. 19. et aliis citatis a Bonacina hic disp. 1. q. 1. p. 4. etiam non acceptante populo; leges vim suam et substantiam habere parum refert in nostro casu; cum nihil hinc conficiatur alius quamquod peccent non acceptantes: non id circo tamen postmodum iis legibus, non receptio, tenebuntur. Demus primos Paulistas peccasse, in non acceptando leges latas; non ideo peccent modo illorum posteri, eas non observantes; ni mirum quia non fuerint á suis progenitoribus acceptæ ita ex Driedone l. 1. de libert. Christ. c. 1. cons. 2. Vasques t. 2. disp. 1. 6. c. 5. n. 40. Valentia sup. p. 8. § ex quo patet. Becanus p. 2. tr. 3. c. 6. q. d. n. 34. Fragozo p. 1. l. 1. dis. 3. § 4. n. 260. Eiusdem mentis colligitur Layman l. 1. tr. 4. c. 3. n. 1. et fuit hæc mens gratiani dist. 4. leges instituuntur cum promulgantur: firmantur cum moribus utentium comprobantur. Peccarunt olim in dubie, qui non receperunt Tridentinum Principes; nec tamen eorum successores, hoc viventes tempore, et multo minus subdicti, iam nunc peccant. Quis id dicat? Quis dicat esse omnes Galles, et plures Germaniæ populos, in actuali peccato? Ita Becanus sup. quin imo Becanus sup. Puteanus in 2. p. D. Th. q. 11. a. 4. dub. 2. Tilliutius t. 2. tr. 11. c. 1. q. 5. n. 11. Jo. Valerius de diff. Utriusq. for. V. peccatum diff. 30. n. 2. Escobar t. 1. l. 5. c. 12. pr. 6. dicunt Bullam cœnæ Domini, ubi non est usu recepta, non obligare in conscientia.

Usus recepta porro dicitur lex et acceptata, vel e contra, si populus vel major pars populi prosequitur facere, vel non, quod facere consueverat ante legis promulgationem. Ita Bonacina sup. 28. cum Suario et aliis quos citat.

2º non tenentur amplius illis legibus Paulistæ.

1º quia censendæ sunt, ab ipsis met sui legislatoribus abrogatæ vel enim legislator populi repugnantiam sciens, connivet potens urgere; quemadmodum in re præsentis Lusitaniæ Rex nihil suæ legis observantiam urgens, cum tamen possit facile: adeo ut non urgendo, approbare se, quæ contra legem fiunt et

non tantum tolerare per patientiam, quod equidem non sufficeret ostendit iuxta communem Theologorum, Suar. de leg. l. 7. c. 13. n. 12. et alios ex c. cum iam dudum. De præbend. Vasquez l. 2. dis 156 c. 5. n. 36. Arriaga de leg. disp. 17. sect. 5. n. 42. § dixi absolute. Salas disp. 13. sec. 3. § 18. Rodrig. t. 1. q. 6. a. 11. Fragoso sup. n. 259. qui id probat per gloss. in l. quo enim ff. rem ratam hab. ubi sic. glossa: non improbare ratificationi par est. Itaq legem revocasse censendus Rex, eamque abrogasse, tamquam difficilem subditis et incommodam: ita Layman sup. n. 3. citans Abb. in cap. quia circa n. 8. de consang. et affin. Navarr. cons. 1. q. 5. cum reliquis iam iam citatis; et Less. de iust. l. 2. c. 6. dub. 14. n. 45. § dico primo.

Vel populi repugnantiam legislator ignorat, sicut in casu Papa illam Paulistarum; tunc contra legem valet præscriptio, ad summum 10. annorum, qui sunt in iure longum tempus, quod tantum in iure requiritur. Ad revocandas et abrogandas Ecclesiasticas leges, usu receptas et populi more firmatas, sine velis has inter bona immobilia et Ecclesiæ male licet, an numerasse, 40 annis opus est: at vero ad invalidandas et abrogandas novas non dum usu receptas, nesciente Principe, longum tantum in iure requiritur tempus, quale d. 10 anni censuntur. Quod totum rationi est consonum: cum plus requiratur ad destructionem rei stabilitæ quam ad rei eversionem non dum firmatæ. Vide Less. de iust. l. 2. c. 6. dub. 17. n. 46. Layman sup. n. 4. Navarr. com. 1. de const. q. 5. Azor p. 1. l. 5. c. 4. q. 4. Suarium de leg. l. 4 c. 16. n. 10. Salas sup. qui id ex usu et praxi probat Rodrig. sup. et alios quos citat Azor loc. cit. Idem probat Fragoso sup. n. 260 ex Rubric. et l. penult. et l. finali c. de præscript. long. temp. l. fidei — Comissa. § Aristo. ff. qui t aquibus. Gloss. in Rubr. c. quæ sit longa consuetudo. et ex. l. si filius c. de petit. Hæred. Item Valasquez de iure Empheyt. q. 29. n. 5 Panorm. in cap. olim de Clericis conjugatis n. 4. fœlin. In caput. de Fruega et pace. Jazon in l. rem non novam ff. de Judic. vide et Less. de iust. l. 2. c. 22. dub. 13. n. 98.

Præterea notatu dignissimum, quod annotavit Diana p. 1. tr. 10. res. 7. § Imo sciente. ex Rodr. q. q. R. R. t. 1. q. 6. a. 12. non esse necessariam repugnantiam contra legem, vel actus legi contrarius fieri Principe ipso sciente, vel in legislatoris præsentia, ad hoc ut dicatur Princeps non urgem, revocasse et abrogasse legem suam; sed esse satis, si similes actus fiant scientibus Auditoribus Regiis, vel Episcopis et Ecclesiæ Prælati. Idem docet Burgos de Paz in l. 1. Fam. 232 et 233. atqui prohibiti per leges hostiles in Brasilos actus fiunt a Paulistis præsentibus ministris Regiis imo approbantibus

suo exemplo cum iubeant subhasta vendi Indos, quo Fisco Regis fiat satis: ita D. Joannes da Rocha Pita senator regius, et syndicus anno 1679 in ipso met Foro oppidi D. Pauli. Præsentibus quoque Ecclesiæ præsulibus; Paulistarum nihilominus confessiones audientibus, eosque absolventibus. nec quicquam vectantibus eorum, quæ contra Pontificum Diplomata, Ad Brasilum invasionem et captivitatem spectant, et fiunt. Quæ singula, quemadmodum certissima, ita valde veniunt notanda.

Et sane, quod ad Regem quidem attinet; quis inficias eat approbare Regem quæ a Paulistis contra suas leges fiunt, atq adeo ab ipsomet Rege, leges abrogatas: si, legibus estis Paulistas proscribens Indigenarum Invasores, eos pro Bannitis haberi velit, et cuique confodiendi det licentiam; ipso nihilominus Rex, illos ipsos Paulistas, indidem accurrentes ad se, non nisi propriis fisis meritis benigne excipiet, foveat blande benevolis audiat auribus, ipsis postulata concedat, obsequiosa sibi ab ipsis præstita larga manu remuneret honoraria ipsis impertiatur Ipsis, deniq omnia quæ fidelibus fieri subditis a Regibus assolent, præstet.

2º quia non improbabile, potuisse ipsos met Paulistas sive Senatam Paulistanum, latas leges, etiam postquam publicatæ, acceptatæ, usuq fuissent firmatæ, postmodum abrogare, licite quidem et ex recatæ rationis præscrita. Probo: quia civitates et Reipub. inferiores possunt statuere contra ius suorum Principum: ita Panormit. in cap. ult. de consuet. et alii quos affest Suarez de leg. l. 6. c. 26. n. 5. quorum aliqui id dicunt verum de Rebus pub. Superiorem cognoscentibus contra leges suorum Principum; non autem Papæ. Alii tamen utrumq concedunt cum Azoris p. 1. l. 5. c. 25. q. 11. qui multis id exemplis probat, nulla facta distinctione: idem ex Bartholo docet Rodrig. t. 1. q. 69. a. q. 4. circa medium. Ita ut in istarum legum abrogatione, nihil á Paulistis peccatum, imo prudenter ~~prudenter~~ sit operatum. Est enim in subdito, inquit, P. Suar. de leg. l. 6. c. 6. n. 5. Iudicium prudentiæ, præsupponens generalia principia iuris naturalis vel etiam humani, iudicare hic et nunc non obligare legem. Nititur autem hic prudentiæ actus humanarum mutabilitate rerum; qua fit ut illa quæ olim iusta, optima et utillissima fuerint, iam nunc, mutatis rebus, iniusto mala et minime utlilia iudicentur. Et notat. P. Suar. De leg. l. 6. c. 25. n. 6. est q diligenter advertendum etiam pro info dicendis: non esse necessarium hanc rerum mutationem tantá esse ut legem facerit aut iniustam aut prorsus inutilem; sed satis esse, ut vel nimis rigorosa, vel minus utilis esse

videatur, seu quod major fructus ex eius revocatione speretur, vel quod maioris pericula aut mala Illo modo evitentur.

3°. rursum: consuetudo á Paulistas contra leges utriusq Principis præscripta omnino illas abrogavit; adeo ut illis nullo pacto amplius ligentur. Eiusmodi est enim autoritatis consuetudo legitime præscripta et ratione consona, ut possit iure positivo hum ano cuicumq derogare legem abrogando antiquam et novam statuendo, iusta, cap. finale de consuetud. est communis Theologorum cum D. Th. l. 2. q. 97. a. 3. P. Suar. de leg. l. 3. c. 19. n. 27. et l. 7. c. 18. n. 2. Sanchez de Matrimon. l. 7. disp. 4. n. 11. Azor. p. 1. l. 5. c. 17. q. 3. Layman. l. 1. tr. 4. c. 24. n. 12. Rodrig. t. 1. q. 69. a. 4. ita omnes etiam canonistæ in cap. ult. de consuet. Legistæ in legem, de quibus ff. de legibus. et in l. 1. et l. 2. c. quæ longa consuetudine. Denique summistæ v. consuetudo.

Dixi cuicumque, cum cap. fin. de consuet. generaliter loquatur; et præcipue quod illud cap. Ipsum solam excipiat naturalem et divinam leges. ex quo conficit ulterius cum Gersone p. 3. tr. de vit. spir. anim. lect. 4. corol. 13. alph. 62. lit. p. Gabriele supplem. 4. d. 42. q. 1. a. 3. dub. 6. Navarro l. 3. consil. Tit. de censibus cons. 7. n. 3. vel ut in posteriori editione cons. 3. n. 3. Sanchez l. d. n. 14. et affirmat nimquam censendam consuetudinem rationi dissonantem, nisi iuri divino aut naturali refragetur. Idem docere intelligitur clare Less. de iust. l. 2. c. 22. dub. 13. n. 101. atqui Paulistarum consuetudo neq iuri divino refragatur, neque naturali; ergo est rationi comona, non refragari autem; imo esse Legi divinæ et iuri naturali confermem claret ex superius dictis in quæstione præambula.

Esse contra ius Pontificium consuetudinem dictam, simul et regium haud inficiat: velint autem plures citati á Sanchez l. d. n. 13. non valere consuetudinem contra canones et Pontificum ius improbens prohibens reprobans, et damnans introductam esse que talem, curuptelam; nihil officere debet cum consuetudo possit iuri canonico et Pontificio cuicumq derogare, uti convincitur ex iam iam dictis et egregie demora probat Sanchez sup. n. 14. quem consule.

Præterea ad valorem consuetudinis præscriptæ requirit Layman sup. et alis, ut illa materiam peccati non præbeat, neque sit communitati pernicioso. Neutrum in est consuetudini Paulistarum 1° enim peccato non datandam: Quam enim? bellorum? Sed iam superius evicimus belli iustitiam contra Barbaros. Bellicarum licentiarum? at hoc per accidens bella comitari solent; ut neutiquam á consuetudine intenuntur. Quin adiudicata Paulistis

consuetudine sua, tamquam iusta, vel saltem non damnata, peccatorum gravissimorum tolletur materies ex frequentiori Sacramentorum usu, ex colloquiis cum nostris Patribus, eorundem q missionibus et aliis Societatis nostræ exercitiis; atq ita adiuvabuntur homines in spiritu et devotione, et Dei, Summi Boni, amore; si non universim omnes, certe plurimi; præcipue indigenæ, Paulistarum mancipia, qui propter mysteriorum fidei ignorantium, et quod sacramentorum sint plane expertus, plane omnes pereunt.

2º neq consuetudo illa perniciosa est communitati, cum set utilis potius ad Reipub. aug. Spirituale non tantum, uti iam nunc ostensum, sed et temporale, de quo mox. Volunt alii ad consuetudinem validam, derogatoriam iuris et legis, consensum Principis expressum, sive personalem ut eam vocat P. Suares: ita Diana p. 6. tr. 5. res. 13 §. Sed supra dictos. et pro se affert Pontium lib. c. 6. n. 5. Montesium in p. 2. t. 2. disp. 23. q. 13. n. 220. Vasques t. 2. disp. 177 c. 2. et 3. Lorcam t. 2. disp. 29. n. 2. Alii tacito Principis contenti sunt consensu, qui est si sciens populi morem, cum prohibere posset, longo tempore tolleret: ita D. Th. 1. 2. q. 97. a. 3. ad 3. et alii quos citat Layman sup. n. 2. sed hic omnino nullus neque Papæ neq Regis intervenit consensus. Ergo Respondeo cum Sanchez sup. n. 14. id gratis aferi, et nullo modo desiderari, ac plane requiri frustra, cum nullo nitatur fundamento: neq enim a lege cap. fin de consuet. Ubi necessariæ conditiones ad consuetudinem abrogantem leges, novasq inducentem astruuntur, vilus Principis petatur consensus et duæ solum modo exigantur conditiones ad consuetudinem nempe ut sit rationabilis et præscripta; et cum aliæ non postulentur inquit Suares lib. 7. de leg. c. 18. n. 9. illa sufficiunt, alioquin illud ius imperfectum esset et insufficiens. Ita præter Sanchez Rochus de consuet. sectio 4. n. 29. Ang. V. consuetudo n. 9. Sylvest. q. 6. Suar. sup. c. 13. n. 6. 7. et 8. Palao. t. 1. tr. 3. disp. 3. p. 2. §. 4. n. 3. Bassæus in flol. Theol. Pract. V. consuetudo n. 12. Azor p. 1. l. 5. c. 18. q. 1. Salas de leg. disp. 19; se et 3. n. 20. et 37. et sect. 4. n. 39. et 40. Villa Lobus in Sum. t. 1. tr. 2. diff. 38. n. 6. Malderus. in 2. D. Th. q. 97. a. 3. n. 3. Becanus p. tr. 3. c. 8. q. 2. § 6. sed accipi ipsa verba P. Sanchez n. 11. quæ totam rem conficiunt: probatur, in quid minime ad eam consuetudinem inducendam desiderari Pontificis scientiam: quoniam, licet non de sint Authores graves scientiam Principis exigentes, quo consuetudo vim legis inducendæ aut abrogandæ habeat: at verior sententia habet eam minime desiderari etiam si sit circa sacramentaliæ ea consuetudo: quippe eum Princeps cap. finali de consuet. generaliter decreverit consuetudine posse legem statui et abrogari,

iam talis voluntas, ut eam facultatem obtineat consuetudo, est tacita scientia et tolerantia consuetudinis in posterum legitime Introducendæ, ut eas vire sortiatur absq alia speciali ipsius consuetudinis in Principe notitia. Quam notitiam propterea, consensum Principis legalem optime dicit P. Suar. Idem docet Less. de iust. l. 2. c. 6. dub. 14. n. 45. § nec obstat. Et §. respondeo 2°.

Sed utra sententia D.D. sit vera! Certe omnibus communiter constat posse humanam legem seu canonicam seu civilem consuetudine abrogari. quamquam enim iterum supponantur peccasse progenitores Paulistarum modernorum non obedientes legibus, sed introducetes contra illas consuetudinem absq Principum consensu, id non obstat, inquit Sanch. sup. n. 14. quo minus consuetudo exactibus illis iniquis consurgens, ubi legitime præscrita fuerit, honesta sit, ac vim legis novæ statuendæ et antiquæ derogandæ habeat, ut bene notat Cajet. l. 2. q. 97. a. 5. nemine contradicente. Alios numquam consuetudo eam vim obtinere posset: cum semper necessarium sit actus illos contra legem gestos, initio illicitos esse, donec consuetudo illos excusans iam indeuerit præscriptaq sit priori lege abrogata et paulo infra: necessario dicendum est, posteros consuetudinem á majoribus introductam observantes á culpa excusari, nec sollicitos esse tenere ad investigandam iustitiam causæ, ex qua mitium dux et, sed, iuste eam præsumere posse. pro uo citat Cajet. sup. a. 3. supplement. Gabriel 4. d. 42. q. 1. a. 3. d. 6. Valent. l. 2. disp. 7. q. 5. p. 8. §. ex quo patet. Idem docet Layman sup. n. 11. Abbas in c. 1. de Freuga et pace n. 4. Sylvest. ut consuetudo. Rochus sect. 4. n. 33. qui communem hanc testatur sententiam. addo Sotum de iust. l. 1. q. 7. a. 2. ad 2. Ubi sic habet: ut lex pristina antiquetur, consuetudo etiam illa, quæ illicitum habet ortum, potest licet non apud eosdem tamen apud posteros vim obtinere. Non igitur moderni Paulistæ peccant quod contra leges utriusque Principis operentur etiam si velis progenitores peccasse ante consuetudinem introductam contra illas cum illæ iam nunc sint per consuetudinem sublata, et abrogatæ.

Si dicas Pontificem per Bullas illas, contrarias omnes consuetudines, verbis solitis, non obstantibus quibuscumq consuetudinibus sustulisse et abrogasse. Respondeo cum Sanchez sup. licet Pontifex Improbaverit et prohibuerit, adeoq abrogaverit consuetudinem Paulistarum, tanquam iniquam, posse nihilominus ob novas causas eandem consuetudinem esse iustam; cum nova causa iniquitatem possit tollere quæ videbatur in esse consuetudini, eo tempore quo Pontifex eam prohiberet: ex l. si hominem 30. ff. mandati quam Bartholus ibi initio Abbas cap. at si clerici § de adulteriis n. 9. de iuditiis

et ibi addit. ad Tellinum n. 3. exponunt quando est causa nova, vel antiqua similiter non cognita. et constat ex textu ibid. nisi ius tam causam habuerit veluti si postea compererit eum falsas rationes confecisse. Ita Sanchez pro sua hac sententiæ afferens Authores 26. Est que rationi plane consentanea. Idem docet Less. iust. l. 2. c. 6. dub. 14. n. 45. initio. Layman sup. n. 7. § imo vero plus docent. Vasquez l. 2. disp. 177. c. 8. n. 69. Becanus tr. 3. c. 8. q. 7. Rodrig. t. 1. q. 69. a. 4. porro; quis affirmare possit causas ob quas Paulistæ suam infestandi Indos bello consuetudinem introduxerant, fuisse probe Pontifici cognitatas, tum, quando legem prohibentem tulit. Profecto, credibile est, non fuisse: fuisse vero alias, si non aperte falsas, certe tales, quæ ex passione Castellatorum congestæ, ob invasionem suorum Neophytorum, iam mansuefactorũ, et S. Ecclesiæ gremio aggregatorum (in quo, dubio procul gravissime Paulistarum aliqui, hominum nequam, deliquere) Pontifici iustam movere bilem possent. Accedit indicta causa, in gratiam catholici Regis apud S. Sedem potentissimi, Paulistas damnatos, censura affectos et consuetudine fuisse prohibitos generali cum non nisi deliquissent in particulari quæ omnia an ex rationis præscripto, alis cogitent dixi, indicta causa: quis enim Paulistarum ad eam dicendam evocatus in urbem? at procurator pro Paulistis ad fuit ad tuendam rem. Quis ille? constitutus á Pontifice. Et huic, undeã rei cuius patronum ageret notitia? Profecto non aliunde, quam ab authoribus ipsis contra reos, hausta: illi porro quemadmodum informarent, cuilibet est obvium colligere. Itaque cum illud negotium in re facti fuerit, in qua unica ab humanis iudiciis et informationibus dependit Pontifex; non est dubium quin errare potuerit. Sed neque de sit causa nova, quæ illam Paulistarũ consuetudinem et abrogationem legum, denuo constabiliat, videlicet ius naturæ, et gravis necessitas de quo iam plusculis agendum.

Quod si quis cum Suar. de leg. l. 7. c. 7. n. 2. et aliis, contra Sanchez sentiet; dicat abrogatam quidem verbis illis solitis, consuetudinem Paulistarum præteritam, non tamen futuram: nam corrueute aliqua legis dispositione per contrariam consuetudinem corruunt clausulæ in lege insertæ, ut ait glos. notabilis l. si patronus verbo, Fabiana ff. si quid in fraudem patroni. Sequuntur hanc sententiam Jason l. certa conditio n. 6. ff. si certum petatur et Duennas Reg. 144. limit. 2. ita Salas dup. 23. sect. 5. Rodrig. t. 1. q. 6. a. 11. Ita ut consuetudo Paulistarum quæ hoc viget tempore, et ab annis [rasura] ultra 40 contra legem de novo invaluit, per Bullam á Pontifice olim editam, pro abrogata ne qua quam debeat censeri.

Altera conditio in cap. fin. de consuet. ad consuetudinem legitime inducendam requisita est præscriptio, uti sup. iam dictum: circa quam plures plurium DD. Sunt sententiæ, quas plures videre est in Diana p. 6. tr. 5. res. 2. et 3. quæm adi. breviter dico, Paulistarum consuetudinem præscriptuisse a tempore immemorabili; ab initio fundatæ reipub. et regni: eum nulla extet memoria certa, quando meditullia frequentare atq sibi feros subijcere Brasiles cæperint constantas adeo in huiusmodi vitæ genere, ut nullo prorsus tempore intermiserint. Nullus itaq dubitet quin legitime præscripserint D. Pauli Incolæ; atq adeo ipsorum consuetudo contra leges tam Pontificias quam Regias merito invaluerit. Iis quæ hic possent objici, iam ad manum est responsio ex supradictis. Quod siquis ad præscribendam Paulistarum hanc consuetudinem titulum petat; assigno breviter, gravius necessitatis titulum: qua quis urgentior? Sit que;

